Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1609
Quelle:
Copyright:

XI. *fol.* 392. Index Operum magni hujus Viri, verum ob folii unius jacturam ἀκέφαλος, et nunc inchoans: *Item 29no Determinacio questionis An liceat a papa appellare. Et articuli theologie compositi contra petrum de luna, cuius inicium: Queritur an hec assercio sit Katholica.* Ita proceditur ad num. 55. et concluditur: *Et tantum de libris latinis. Secuntur acta per eundem in gallico ydiomate.* Hic rursus 13. recensentur, et subditur: *Item 14to Multa alia breuia sunt eius opuscula super diuersis materijs causa breuitatis hic obmissa que tanquam fragmenta ne pereant recollecta et in vno volumine velud in sporta recondita magnum et gratum prebent legentibus profectus solacium. Vltimum Opus quod morte propinquante peregit est Tractatus egregius et subtilis super cantica canticorum* (supra N. VIII.) *ad fratres karthusienses.* Addit Librarius: *In profesto Nicolai* (anno 14) *36°.* Itaque anno 7. post excessum illustris Exulis et Peregrini, qui Factionem *Angloburgundicam* fugiens etiam *Viennam* nostram delatus benigne et humaniter habitus est. Ceterum Catalogum hunc Scriptorum ejus antiquissimum putem, quo tamen uberiorem postea dedit *Trithemius.*

XII. *fol.* 393. p. 2. Codici finem imponunt Adversaria quaedam theologica levis momenti, et improbe conscribillata.

DCLXXXIV.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 194. 4. maj. charactere luculento, atro perscriptus, literis initiorum deauratis, picturatis, titulisque miniatis speciosus praemisso IV. *Librorum* Elencho eodem, quem nunc typis expressum habemus, inscribitur: *Incipit liber primus fratris thome de kempis canonici regularis ordinis sancti augustini. De imitatione Cristi et de contemptu omnium vanitatum mundi.* Textus per omnes IV. *Libros* conformis est antiquis Editionibus, nec agnoscit illas, si Superis placet, emendationes, quas e *Parisina* a. 1773. 12. longo ordine produxit *Fr. Joseph. Debillionus* ad calcem sui *Thomae, Manhemii* 1780. 8. Singulis *Libris* praefixa est elegans Pictura, quarum ea, quae *Librum* I. antecedit, *Thomam* insuper habitu, quem Canonici Reg. magnam partem domi deferre solebant, albo scriptioni incumbentem repraesentat. Ad calcem habes: *Fratris thome de kempis de imitatione cristi deque contemptu mundi deuotum et vtile opusculum finit feliciter.* H. 4

II. *fol.* 184. *Incipit tractatus de meditatione cordis magistri iohannis gerson.* Tractatulus hic saepe *Thomae* adjunctus extat *Opp. Gersonis* Edit. dictae *Antverp.* T. III. P. 2. *col.* 449. Ad *Gersonem* pertinere vel illud evincit, quod *c. ult.* legitur: *Scripsi iam pluries talia — nominatim in tractatulo de Probatione Spirituum.*

Ut